



# **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

MXXI. Papst Jnnocenz VI. beauftragt den Erzbischof von Prag nebst den  
Bischöfen von Breslau und Camin, den Markgrafen Ludwig den Römer,  
seine Anhänger und die gesammte Mark Brandenburg vom Banne und ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

MXXI. Pappst Innocenz VI. beauftragt den Erzbischof von Prag nebst den Bischöfen von Breslau und Camin, den Markgrafen Ludwig den Römer, seine Anhänger und die gesammte Mark Brandenburg vom Banne und Interdicte zu befreien, am 23. März 1358.

Innocentius Episcopus, seruus seruorum dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Pragenfi et Caminenfi ac Wratislauiensi Episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Romanus Pontifex illius patris piissimi vices gerens in terris, qui homines querens saluos fieri eius multiplici misericordia sic lapsibus humanis subuenit, ut non solum per baptismi gratiam sed etiam per penitentiae et reconciliacionis medelam spes vite repararetur eterne, vt qui regenerationis dona uiolarent proprio se iudicio condemnantes ad remissionem peccaminum peruenirent, libenter circa singulos Cristi fideles, qui ad lucem de inuis tenebrarum et umbra mortis diuina inspirati gratia redeunt, suorum delictorum vulnera humiliter recognoscunt, et ad apostolice sedis clementiam deuotis recurrunt mentibus, exercet pietatis et misericordiae lenitatem. Nuper siquidem pro parte nobilis viri Ludouici Romani, Marchionis Brandenburgensis, nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum ipse, qui pro eo, quod post et contra processus predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum contra quondam Ludouicum de Bavaria patrem suum, de heresi et scismate condemnatum, et contra nobilem virum Ludouicum dicti Ludouici de Bavaria primogenitum, qui dudum Marchionatum Brandenburgensem occupauit, licet postea eum libere duxit dimittendum, ipsorumque fautores et complices ac sequaces et adherentes eidem factos et habitos, adhesit, favit et obsequutus fuit, ac participauit etiam cum eisdem, excommunicationis aliasque poenas et sententias per processus eisdem contra talia presumentes generaliter, et contra ipsius Ludouici patris filios generaliter et specialiter promulgatas, incurrisse dinoscitur, Vna cum omnibus et singulis Episcopis, Abbatibus, Prioribus et Prepositis, Decanis, Archidiaconis et aliis ecclesiarum et monasteriorum Prelatis seu Rectoribus, et clericis ac personis ecclesiasticis, nec non Ducibus, Comitibus, Baronibus, militibus et aliis uniuersis personis de dicto Marchionatu Brandenburgensi et aliis terris eidem Ludouico Romano subiectis, qui occasione premissorum processuum sententias et poenas aliquas incurrerunt, cupiat redire ad ecclesiae unitatem, porrigere eis dexteram apostolice misericordiae dignemur. Nos igitur qui, licet immeriti, illius gerimus vices in terris, qui in hunc mundum venit vocare peccatorem ad poenitentiam, carissimi in Cristo Filii nostri Karoli Romanorum Imperatoris semper Augusti pro eodem Ludouico Romano dicto, fidei suo, qui ex investitura ipsius Imperatoris marchionatum ipsum tenere ac possidere dinoscitur, nobis in hac parte humiliter supplicantis, ac ipsius Ludouici Romani supplicationibus inclinati, fraternitati vestre, de qua in his et aliis fiduciam gerimus in domino specialem, predictum Ludouicum Romanum, primo si absolutionem humiliter postulauerit, et in formis subscriptis confessionem et recognitionem fecerit, et corporaliter iuramentum per se ipsum presterit, nec non omnes et singulos Episcopos, Abbates, Priores, Gardianos, Prepositos, Decanos, Archidiaconos et alios ecclesiarum et monasteriorum Prelatos seu Rectores et clericos,

ac ecclesiasticas personas seculares et regulares, exemptas et non exemptas quorumcunque ordinum seu religionum existant, Capitula quoque, conventus et collegia ecclesiarum, monasteriorum et locorum aliorum ecclesiasticorum, secularium et regularium, exemptorum et non exemptorum, ordinum quorumcunque, ac insuper Duces, Comites, Barones, milites et laicos, Communia quoque civitatum, universitates opidorum, villarum, castrorum et locorum aliorum de marchionatu et terris predictis, ab omnibus et singulis, excommunicationis aliisque sententiis atque poenis, quas per processus eosdem, vel eorum occasione, pro eo, quod Ludouico patri et Ludouico primogenito antedictis, seu alicui ex eisdem adhaerunt et obsequuti fuerunt, ac dictum Ludouicum patrem Imperatorem seu Regem Romanorum et quondam Margaretam, Comitissam Anonie, dicti Ludouici Romani matrem, et ejusdem Ludouici patris relictam viduam Imperatricem seu Reginam Romanorum nominauerunt et reputauerunt, ac Ludouico patri ut Imperatori seu Regi ac Margarete predictis ut Imperatrici seu Regine Romanorum, seu alicui ex eis fauerunt, uel cum eis aut aliquo eorum participauerunt, ipsique Episcopi, Abbates, Priores, Gardiani, Prepositi, Decani, Archidiaconi et alii Prelati seu Rectores et clerici ac ecclesiastice persone eorum eis seu dicto Ludouico primogenito aut eorum aliquo divina officia celebrarunt, seu alias per dictos processus quomodolibet incurrerunt, si hoc humiliter petierint, et de stando ac parendo mandatis ecclesie, ac Ludouicum patrem Imperatorem vel Regem, et Margaretam predictam Imperatricem aut Reginam Romanorum amplius non nominando et reputando, prestiterint similiter iuramentum, absolvendi auctoritate nostra hac vice, juxta formam ecclesie, imposita eis et eorum singulis pro modo culpe poenitentia salutari et aliis que de jure fuerint injungenda, nec non interdicta quibus ecclesie, monasteria et alia loca ecclesiastica quecunque marchionatus ac terrarum predictarum nec non marchionatus et civitates, opida, castra, ville et loca alia supradicta, per processus eosdem vel ipsorum occasione quomodolibet subjacent, suspendendi et relaxandi, ac nihilominus cum eisdem Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Gardianis, Prepositis, Decanis, Archidiaconis et aliis Prelatis ac ecclesiarum Rectoribus, clericis et personis ecclesiasticis super irregularitate quam divina, non tamen in contemptum clavium, celebrando vel immiscendo se illis, vel alias per processus eosdem quomodolibet contraxissent, ipsis tamen ad tempus, de quo vobis videbitur, a divinis prius suspensis, dispensandi ac eos habilitandi et tam ipsos quam capitula, conventus, collegia, Ludouicum Romanum, Duces, Comites, Barones, milites et laicos et Communia ac universitates predictos in integrum restituendi ad famam, dignitates, honores, statum ac bona, jura quecunque alia, prout essent si processus hujusmodi facti minime extitissent, plenam vobis et cuilibet vestrum, dumtaxat auctoritate apostolica, concedimus tenore presentium facultatem. Volumus autem, quod per vos vel alterum vestrum in premissis per vos faciendis absolutio-nibus apponatur specialiter et expresse, quod si dictus Ludouicus Romanus vel aliquis predictorum, postquam per vos absoluti fuerint, ut presertur et interdicta quibus ecclesie, monasteria, marchionatus, civitates, opida, castra, ville et loca alia sepefata subjacent, fuerint relaxata, contra ea vel aliquod eorum, que promittet vel jurabit, veniet, persona ipsa contra ea veniens eo ipso in easdem poenas et sententias relabatur, ac marchionatus et terre hujusmodi

ipſius Ludouici Romani, nec non eccleſie et monaſteria, caſtra, opida et loca alia de marchionatu et terris eiſdem alterius perſone marchionatus ac terrarum predictarum contravenientis, ut preſertur, huiusmodi interdictis ſubjaceant ſicut prius. Ac etiam volumus quod confeſſio, recognitio, juramenti preſtatio et abſolutio ejuſdem Ludouici Romani ac interdictorum relaxatio ſupradicte in veſtra vel alterius veſtrum preſentia et clericorum et laicorum multitudinis copioſe ſollempniter et publice fiant; et quod tam de ipſis quam de ſingulis aliarum magnarum ac nobilium perſonarum, quas auctoritate preſentium duxeritis abſolvendas, confeſſionibus, recognitionibus, juramentis et abſolutionibus, ac interdictorum relaxationibus ac impoſitionibus huiusmodi, confici faciatis, per bonos et authenticos notarios, publica inſtrumenta, que veſtris ſigillis munita nobis per fideles nuncios deſtinare quantocius procuretis. Forma autem confeſſionis et recognitionis faciende et juramenti preſtandi per dictum Ludouicum Romanum talis eſt:

„Ego Ludouicus Romanus, Marchio Brandeburgenſis, natus quondam Ludouici de Bavaria, olim pro Romanorum Imperatore ſe gerentis, per iudicium tamen ſancte Romane eccleſie reprobati, confiteor et recognoſco me erraſſe et multipliciter deliquiſſe eidem Ludouico Patri et nobili viro Ludouico primogenito, et quondam Margarete Comiſſe Anonie vidue relicte dicti Ludouici Patris, contra precepta et inhibitiones eccleſie Romane predicte et contra proceſſus habitos per eam contra ipſos eorumque fautores factos, favendo aut alias quibuſlibet modis obſequendo. Deſiderans igitur et requirens humiliter a poenis et ſententiis, quas propter premiſſa merui, abſolvi et unitati ſancte matricis eccleſie reconciliari miſericorditer et ad ejuſ ovile reduci; juro ad ſancta Dei evangelia ſtare et obedire mandatis ſancte Romane eccleſie ſupradicte ac Domini mei Domini Innocentii divina providentia Pape VI. et ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, ſeu alterius quem ipſe vel ſucceſſores predicti ad hoc duxerint deputandum: Et inſuper omne ſciſma abjuro et promitto me in vera obedientia pro pace eccleſie et ipſius domini noſtri Pape et ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium ſine fictione qualibet perpetuo permanſurum. Confiteor etiam me credere ac tenere, quod credit, tenet vel docet eadem Romana eccleſia. Illam quoque deteſtor dampnatam aſſertionem, que dampnabiliter aſſerit Imperatorem Romanorum poſſe Romanum Pontificem deponere et ſibi alium ſubrogare.“

Datum Avinione X. Kl. April. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Gercken hat dieſe Urkunde nach dem Originale in ſeiner Stifts-hiſtorie von Brandenburg S. 564 bereits mitgetheilt, doch unter Auslaſſung einer ganzen Reihe von Worten und mit vielen den Sinn entſtellenden Fehlern. Sie iſt hier nach dem Concepte im Vaticanischen Archive corrigirt wiedergegeben.